



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Nouo Testamento Quatuor Eua[n]=||gelia**

**Erasmus, Desiderius**

**Erphordie, 1520**

**VD16 B 4591**

Capvt. II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34488**

## EVANGELIVM.

nam vsq̄ ad Dauid, generationes quatuordecim, & a Dauid vsq̄ ad demigrationē Babilonycam generetiones quatuordecim, & a demigratione Babilonica vsq̄ ad Christum generationes quatuordecim. Christi vero natiuitas sic habet. Cū mater eius Maria desponsa esset Ioseph, priusq̄ cōgressi fuissent, depræhensa est grauida e spū sancto. Porro Ioseph maritus eius, qm̄ erat iustus, & nolebat illam infamare, noluit clanculum ab ea diuertere. Hæc autē cū is in aīo versaret, ecce angelus domini in somnis visus est illi dicens. Ioseph fili Dauid, ne metuas adiungere tibi Mariā vxorē tuā. Nā quod in illa conceptū est, a spiritu sancto pfectū est. Pariet autē filiū, & vōcabis nomen eius Iesum. Is enim saluū faciet populū suū a peccatis suis. Porro totū hoc factū est, vt perficeretur id quod dictū fuerat a domino per pphetā ita loquentē. Ecce virgo erit prægnans, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod si quis interpretetur, sonat, nobiscū deus. Excitatus autem Ioseph a somno, fecit vt inīxerat sibi angelus dñi, & adiunxit sibi vxorē suam, & non cognouit eam, donec peperisset filiū suū primogenitū, & appellauit nomen eius Iesum.

### ¶ CAPVT. II.

**C** Vm autem natus esset Iesus in Bethleem vico Iudææ tēporibus Herodis regis, Ecce magi ab oriente accesserūt Hierosolyma, dicentes, vbi est ille, qui natus fuit rex iudæorū? vidimus enim illius stellam in oriente, & accessim⁹, vt adoremus eū. Auditis autē his Herodes rex, turbatus est, & tota Hierosolymorū vrbs cū illo, & conuocatis omnibus

pontificibus, & scribis populi, percontatus est eos, ubi Christus  
 nasceretur. At illi dixerunt ei, In Bethleem Iudææ. Sic enim scrip-  
 tum est per prophetam, Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima  
 es inter principes Iuda. Ex te enim mihi proditurus est dux, qui  
 gubernaturus est populum meum Israel. Tunc Herodes clam accersit  
 magis, accurate perquisiuit ab illis, quo tempore stella appa-  
 ruisset. Et iussis ire in Bethleem, dixit, profecti illuc, accurate in-  
 quirite de puero. Vbi vero reperitis, renunciate mihi, ut & ego ve-  
 niam & adore illum. At illi audito rege, profecti sunt, & ecce stella  
 quam viderant in oriente, præcedebat illos, donec progressa, staret  
 supra locum in quo erat, puer. Cum autem vidissent stellam, gauisi sunt  
 gaudio magno valde. Et ingressi domum, repperunt puerum,  
 cum Maria matre eius, & prostrati adorauerunt illum, & apertis the-  
 sauris suis, obtulerunt illi munera, aurum, & thus, & myrrham,  
 & oraculo admoniti, in somnis, nec reflecterent se ad Herodem,  
 per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Digressis autem illis, ecce an-  
 gelus domini apparet in somnis Ioseph dicens, Surge & assume  
 puerum ac matrem illius, & fuge in Aegyptum, & esto illic donec dixe-  
 ro tibi. Futurum est enim, ut Herodes querat puerum ad perdendum  
 eum. Ille vero excitatus, assumpsit puerum & matrem eius noctu &  
 secessit in Aegyptum, & fuit illic usque ad oblitum Herodis, ut perfice-  
 retur quod dictum fuerat a domino per prophetam dicentem. Ex  
 Aegypto vocavi filium meum. Tum Herodes ubi vidit sibi illudum  
 fuisse a magis, indignatus est vehementer, ac missis satellitibus, in-  
 terfecit omnes pueros qui erant Bethleem, & in omnibus confinibus

A in

EVANGELIVM.

Bethleemiticis, quotquot essent bimuli aut minores, iuxta tempus, quod exacte cognouerat ex magis. Tunc perfectū est, quod dictū fuerat ab Hieremia propheta, cū ait. Vox in Rhama audita est, lamentatio, ploratus, & fletus multus. Rhachel plorans filios suos, & noluit consolationē admittere, propterea, quod non sint. Cæterū defuncto Herode, ecce angelus dñi in somnis appareret Ioseph in Aegypto, dicens. Surge & assume puerū & matrem eius, & vade in terrā Israel. Defuncti sunt enim, qui quærebant animā pueri. At ille surgens assumpsit puerū, & matrem illius, & venit in terrā Israel. Verū cū audisset Archelaū regnare in Iudæa, loco Herodis patris sui, timuit illuc abire, sed oraculo admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ, ac pfectus habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth, vt impleteretur, quod dictum fuerat per prophetas, Nazareus vocabitur.

¶ CAPVT. III.

**I**N diebus illis, accedit Ioannes baptista, prædicans in deserto Iudææ dicensq; Resipiscite, in ppinquo est enim regnū cælorū. Nā hic est ille, de quo dixit Propheeta, qui ait, Vox clamantis in deserto, parate viam dñi, rectas facite semitas eius. Ipse vero Ioannes habebat indumentū suum e pilis camelorū, & zonā pelliceam circum lumbos suos. Porro cibus illius erant locustæ, & mel syluestre. Tunc egressa est ad illum, Hierosolyma, & tota Iudæa, totaq; regio vndiq; finitima Iardani, & Baptizabantur in Iordane ab illo, confitentes peccata sua. Cū vidisset autē multos ex pharisæis & sadducæis, venientes, ad bap